

**Dissertatio inauguralis medica, de praerogativa veteranorum practicorum
... / [Johann Dehne].**

Contributors

Dehne, Johann.
Stahl, Georg Ernst, 1660-1734.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeb : Litteris Christiani Henckelii, [1712]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/h789f3ga>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
DE
PRÆROGATIVA
VETERANORUM
PRACTICORUM,

Quam

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. FRIDERICO WILHELMO,
PRINCIPE BORUSSIÆ, MARCHIONE BRAN-
DENBURGICO, CETERA,

IN ACADEMIA FRIDERICIANA,
GRATIOSISSIMO FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,
PRÆSIDE

DN. GEORGIO ERNESTO STAHL,
MED. D. EJUSD. ET RER. NATUR. PROFESS. PUBL. OR-
DINAR. ACAD. NAT. CUR. COLLEG. LONG. DIGN. FA-
CULT. MEDIC. h. t. DECANO SPECTATISSIMO,

DN. PATRONO, PRÆCEPTORE AC PROMOTORE SUO
omni Observantiae atque Honoris cultu ætatem colendo,

PRO GRADU DOCTORALI,
Summisque in Arte Medica Honoribus, Insignibus ac Privilegiis,
More Majorum Solenni obtinendis,

Ad d. Jun. MDCCXII. horis ante & pomeridianis

IN AUDITORIO MAJORI

Placido Eruditorum Examini submitter

JOANNES DEHNE, Berolinens.

DESSERTINO E AUGUSTO MEDICA

PRAXIS VETERANORUM PRACTICORUM

RECTOR MAGNIFICENTISSIMO
DE UNIVERSO PATRIBUS DE DOMINO
DE PRINCIPALIBUS VETERANORUM
DE PRINCIPALIBUS VETERANORUM

DE PRINCIPALIBUS VETERANORUM
DE PRINCIPALIBUS VETERANORUM
DE PRINCIPALIBUS VETERANORUM

DE PRINCIPALIBUS VETERANORUM
DE PRINCIPALIBUS VETERANORUM
DE PRINCIPALIBUS VETERANORUM

DE PRINCIPALIBUS VETERANORUM
DE PRINCIPALIBUS VETERANORUM
DE PRINCIPALIBUS VETERANORUM



PROOEMIUM.



Iⁿter alia scientiarum

scandala, quibus illæ ab ulteriore
sui progressu distinentur, nec or-
dine atque tempore, nec vero et-
iam dignitate postremum est il-
lud, quod magis semel jam par-
tis, & quomodocunque collectis,

acquiescere, imo insistere, cordi habeant mortales,
quam in veram atque solidam rationem dogmatum, &
convenientiæ horum cum ipsis rebus, satis consideratè
inquirere. Unde certe aurea planè est illa Ciceronis
animadversio, quod multi ad sapientiam pervenissent,
nisi se jam eò pervenisse putassent. Quamvis enim nu-
da & præfracta, perpetuò dubitandi, magis, quam ad
veritatem contendendi, libido, non solum irritum, sed
importunum etiam, & segni otio destitutis, meritò o-
diosum, siticceptum; cui imprimis sani progressus dis-
quisitorii imperitia, adeoque perpetuæ evagationes à
directo scopo; causarum ultimarum potius, quam pro-
ximarum, præpostera venatio: Imò absoluta causarum,

præ rebus ipsis, investigatio: & tandem inhumanus ille fastus, absolute omnium rerum, universas & exquisitissimas causas perscrutandi, aut, ubi hæ attingi non possunt intellectu, res ipsas in sensu negandi, viam atque fomitem subministrant: Peccatur tamen ab hoc extremo in alterum, quando modesta, & decenter circumspecta dubitatio non ad vera atque iusta capita accedere audet, sed magis cum omnibus inutiliter consentire, quam cordate dissentiendo, verum de rebus sensum, ad eximios sæpe usus, elicere, in se recipit. Sane vero, pro harum rerum paradiigmate nihil opus est prolixis documentis, cum sufficere possint e media arte Medica desumpta, non parvi certe momenti, duo specimina, partim antiquæ jam, partim recentiori, artis hujus tractationi, non magis aliunde objecta & velut imputata, quam ipsorum Medicorum, & quidem practicum confessione, imò velut experientia, familiaria. Nempe, I) quod Theoria Medica, mirum quantum differat à praxi; ut ad hanc accedentibus, non solum seponi, sed velut oblivioni tradi, debeat: Et quantumlibet bonus, doctus atque sagax theoreticus, tamen sæpe, imò tanto magis, quantò magis talis, infelix esse possit practicus. II.) Quod practicus longo usu & exercitio potitus, plurimum prærogativæ mereatur, præ juniore, nempe experientia sufficiente nondum instructo. Ubi, cum de prioris assertionis vero sensu, sententiam nostram jam olim professi simus, innuendo, quod in culpa hic sit, permutatio Theoriæ generalis, universalis, & absolutæ, cum Theoria specialiore, particulari, atque reflexa: placuit, cum INAUGURALI
SPE-

SPECIMINI thema constituendum esset, hoc imprimis eligere, & enucleare, quid veræ diversitatis atque differentiae intercedat, inter artem Medicam, longo usu confirmatam, & velut habitu quodam animo firmitus impressam; & contrà, parvo adhuc usu illustratam atque ratam habitam. Erit itaque Dissertatio nostra solennis, occupata, circa VETERANORUM PRACTICORUM PRÆROGATIVAM, & ejus tam veritatem, quam rationes atque causas, expendendas.

Sicut autem instituti hujus solida enucleatio, negotium certe est, ad totam solidiorem artis Medicæ veritatem, exquisitè pertinens, ita absit, ut propriis nostris viribus, etiam hoc propositum adgrediamur: unde potius etiam pro hoc cœpto, ad felicem finem perduciendo, Divinam gratiam pro *ὁδὴν* clementissima, tam ad veritatem ipsam, quam ejus evidentiam, adsequendum, supplices veneramur.

Th. I.



Eteranorum practicum præ junioribus *prærogativa*, cum imprimis rectam acceptionem vocum *Veterani* atque *junioris*, quasi *tironis*, comprehendat, necesse erit de illa tam in genere, quam ad substratam materiam in specie, aliqua præmonere. Equidem *veteranus*, vel ipso grammatico exactiore sensu, non tam simpliciter, *annosum* ætate, quam *usui longo* velut *infenscens*, denotat: unde antiqua hujus nominis applicatio, ad *militares* imprimis viros quam maxime referri consuevit. Interim nec ignotum est, ex ipsis *physico-moralibus* considerationibus, quod etiam *etatis* ipsius *annosioris*, præ *juvenili*, dignitas aliqua agnosci soleat: Nisi quidem & hæc i-

psa, quod certe res est, ad longum potius *usum*, & illo non magis *informatum*, quam constantius *confirmatum*, *judicium*, similiter ut in militibus *veteranis*, referenda videatur.

Th. II.

Idem valet tam de *tironibus* in specie, justo usu nondum instructis; quam de *junioribus* in genere, quibus major *impetus*, minor autem *patientia*, & *assiduitas*, & his rebus superstruenda *circumspectio*, ita ut in genere, non inique adsignatur.

Th. III.

Quando itaque non solum bene *circumspecti* atque *pen- sitati consilii* negotium, in quæstionem venit; quod & *patienter perscrutando*, & mature *judicando*, & constanter *decernendo* atque *observando*, absolvi debeat: Stat utique generalior favor pro *senioribus*. Dum *juventuti*, ut in genere, sine contradictione facilius insultat, tam in pervestigando, quam concludendo, impatientior *festinatio*; In servandis autem decretis, magis desultoria *inconstantia*.

Th. IV.

Quando vero insuper illa est *objecti* quæstionis conditio, imo ipsa indoles, ut usu etiam atque *exercitio* copiosiore, instruenda veniat ipsa pervestigatio rerum, quæ deinde tam *judiciosa* pensitatione, quam *consulta* deliberatione, & conclusionem *decretoria*, constitui atque stabiliri possulent; manifestum utique est, quod, licet non *etatis æque*, tamen usus ipsius & *exercitationis*, longior continuatio, siue *annis*, siue *numero* praxeos instructior, non possit non in hoc genere, præ contrariis conditionibus, *prærogativam* tueri.

Th. V.

Talis autem indolis esse omnino *Medicam* etiam *artem*, uti vix quisquam sinceri *judicii* compos refragabitur; ita, in genere, etiam tanto minor erit necessitas, huic rei
con-

confirmandæ multa verba impendere, nedum argumenta. Interim tamen vocat adhuc ad se contemplationem debitam, ipsum *objectum* in Medica arte, circa quod *prærogativa* illa, imprimis hoc ipso sensu, ut *experimentalis*, sive possit atque debeat, sive soleat, occupari.

Th. VI.

Sunt itaque *tria* præcipua capita *prærogativæ* illius, à longiore usu & peritia peti solitæ. Nempe I. intimior *cognitio*, & consequenter certior *διάγνωσις*, *veræ indolis morborum*; non solum *simplicium*, & velut *univocorum*, sed quam maxime *complicatorum*, & sano sensu *equivocorum*. II. Specialior annotatio *individualium* constitutionum, *propiorum* dispositionum, & imprimis *adsuetudinum*: Denique III. certior atque firmior experientia, *veræ* atque *fidæ efficacæ remedium*, & spei suæ certius satisfaciens *justi* illorum effectus; Cui proinde commodus, imo necessarius selectus, & recte ordinatus usus, superstrui possit.

Th. VII.

Jam, quod *primum* horum attinet, facile est prævidere, non crediturum temere esse, ut *à priori*, quenquam, quod in Medicina, defectus aliquis circa hoc negotium, per tot secula, superesse possit; quò minùs, quasi graphice, dictis atque scriptis, ita enarrari possint *indoles morborum*, ut Medicus, saltem memoriter has res recte complexus, destitui non possit vera singulorum discretione. At verò, si *à posteriori* adspiciat, vel audiat, quid *tres*, *quatuor*, nedum *plures* Medici, sive in *rem præsentem* adducti, sive *historia* pathematum ægrum exercentium, informati, de *morbi specie*, & intimiore ejus *indole*, enuncient, è familiarissimo dissensu potius singulorum, quam consensu omnium, contrarium facile animadvertet.

Th. VIII.

Neque vero hoc solum, sed incumbit etiam hoc in casu, iterum dico ut *in genere* (siquidem neminem excipere
re

re posse, infortunio certè proximum esset) quantumcunque curatori descriptioni, & industriæ hujus perceptioni, tam *memoriæ* dispar firmitas, quam *judicii* plana & intemperata promptitudo; imo *ægrorum* & *adstantium*, aliquando stupor, aliquando simulatio, aut dissimulatio, aliquando minus culti eorundem mores, aliquando accidentales, imprimis fortuitæ, causæ atque circumstantiæ, ut *minus* adhuc *exercitatus*, facilius hic confundi possit, quam longiore usu quasi præmunitus.

Th. IX.

Adhuc magis autem, secundò, juvare potest omnibus modis, ipso usu jam *peritiorem*, præ alio, *individualium* circumstantiarum peculiaris ratio: quæ partim modò, ultimo loco, nominatis, partim specialiori, *sensibili*ori, aut *teneriori*, texturæ, imprimis *absentis*, ægri: partim *consuetudinalibus* ejus propensionibus, aut habitibus, superstructæ esse possunt. Quod proinde exercitiores circa talia practici exprimere solent, æque ac ipsi ægri, locutionibus illis: *Der Patient habe in diesen Dingen eine sonderbare Art / der Medicus kenne dieses Patienten Natur.* &c.

Th. X.

Ubi tamen uti facilis, ita vere etiam familiaris, hic occurrit transitus, sive in planè aliud genus, sive ad minimum à specie, ad ipsum genus; ut videlicet, *generalioris* veræ *indolis* directi morbi, non abundè certus & securus, *exercitio* junior medicus, per tales *individuales* peculiares conditiones, ab ipso *subalterne-speciali morbi genio* abducatur, & circa totam summam rei confundatur: Tum etiam de illa satis securo, tamen adhuc hæ ipsæ *specialiores* circumstantiæ, tam in *methodo* quam *remediis*, crucem adhuc figere satis compotes sint.

Th. XI.

Nemo vero hodiè amplius, credo, supererit, qui de *Tertio* supra nominato offendiculo, nempe diversa experientia

entia circa *vera* atque *fida remedia*, eorumque sive magis *directum*, sive magis *prolixum* & latius patentem, usum & *effectum*, magnopere refragetur. Utique, postquam tam ratio luculenter præmonstrare potest, quanta *copia*, imprimis ab *antiquitate ignotorum* remediorum, solis *hypotheticis* opinionibus, ipsis etiam sæpenumero (præcipue circa *Chimicas* theorias) malè fundatis, superstruatur: quam experientia, *generalis*, de nullo evidente aut directo: Atque specialis, de nullo magis *certo*, *præ aliis*, imò vel *nullis*, usurpatis remediis, effectum, res est, non amplius ita parum nota, ut ab hoc latere insignis aliqua difficultas oriri possit.

Th. XII.

Quemadmodum autem ex omnibus ita dictis, satis elucescit, quod res ipsa, in thesi, ut vulgo ajunt, sit vera; quod, inquam, practici, *sæpius* & *diutius* experimenta instituire, atque recte observare, compotes, *prærogative* præ junioribus, aut quasi *jejunioribus*, verum jus quæsitum habeant: Ita in hypothese, maximè in disquisitionem justissimam, potest, imo debet potius, venire, quonam FUNDAMENTO hoc illorum jus nitatur, & annon *conditionem rei alienæ*, & secundum quid illam, involvat.

Th. XIII.

Certè, si communis, & quasi naturalis, juris, notissimas regulas infringere non libet, nemo gravari poterit, si sincera & modesta jurium suorum inspectio instituatur; tanto magis, cum honori potius, quam ulli dedecori sit, viro bono, justitiam & constantiam jurium suorum ostendisse, adeoque prærogativam suam, omnibus agnoscendam atque observandam sanxisse, & quasi venerabilem reddidisse. Sunt autem *regule illæ communis aequitatis*, quas innuimus, imprimis sequentes. I. *Quod uni prodest, & alteri non nocet*, id non solum æquisimo jure illi concedi posse, & quasi *debere*: sed &, II. *æquitate rationali*, etiam bonum virum eò conspirare, imò conferre debere, *ne alterius conditio*,

sua quaticunque culpa, deterior sit, quam sua ipsius. III. Jura unius & emolumenta, non debere involvere injuriam aut damnum, non solum unius alterius, sed plane plurimorum aliorum: Tanto magis, IV, si a prima jurium talium fundatione, satis demonstrari possit, quod illa non uni soli destinata & tributa sint, sed potius in communes, imo latissime patentes, usus, constituta, & ita in medium posita, ut è tali destinata communione, usum aut fructum simpliciter ad se, aut paucos alios, trahere, aut tractum velle, injurie atque defraudationi par evadat conatus. Secundum has autem leges, nihil utique decedit quietæ possessioni experientia, eruditionis, & directæ justæ estimationis, exercitatorum practicorum; quantumlibet etiam alii, ad similem possessionem impetrandam, sive adspirent, sive feliciter pertingant. Prærogativa vero, nisi sanæ rationi atque equitati conformis sit, & multorum, imo plurimorum, non solum usibus, sed plane gravibus necessitatibus nullo modo turbandis, superstruatur, nemini bono viro placitura esse credi possit. Unde certe, ab ipsa adolescentia, mirificè placuit Africani adversus Fabii Maximi invidiam, tum tota oratio, tum verba illa, quæ Livius ipsi tribuit: Dii, inquit, non sinant, ut neminem, nostrum similem bonum virum, Reipublicæ natum esse velimus. Jam verò, cum sub tali prærogativa, non solum aliorum participatio excluderetur; sed quod palmarium est, immanis numerus agrorum, qui à veris, & magis publici juris factis, hujusmodi scientiis & experienciis, exoptatissimum fructum percipere posset, illo hoc modo defraudetur: Cavendum certe est bono cuique viro, ne ille hujusmodi ausus jure aliquo insimulari possit. Cum utique à Divina benignitate, non in privatos artificum, nedum unius aut alterius seorsim, usus, aut familiares abusus, rerum nature insita atque indita sint illa emolumenta, ad humanam sanitatem procurandam; sed potius in totius generis humani publicos usus, imo necessitates, data, & arti magis, quam artificibus in sua persona, concredita & commissa: Ut merito

ratio-

rationem reddendam sibi esse intelligere debeat, qui has res ex artis thesauris, in crumenam suam condere, & illa alios defraudare, auderet.

Th. XIV.

Tanto magis autem, cum vera illa energia, quæ *fundamentum*, imo *subjectum*, & sano sensu *objectum*, totius hujus veluti *prærogative* sustinet, in ipsa *humana*, *agrorum* inquam *ipsorum*, *natura*, à Divina bonitate, præcipuam partem, reposita sit. Quod proinde beneficium velut abscondere, & clam habere ab ipsis *agris*, cum bonæ fidei graviter adversetur, nemo certe bonus in se admissurus fuerit. Dum interim æquiori judicio relinquamus, *compendia* quædam experientiarum, circa res extra corpus humanum inveniendorum, & hujus usibus equidem conducentium, non tamen ita exclusive & unice, ut nullis aliis, quam his, corporis *necessitati* recte consuli possit, licet his forte *commodius*, quam aliis aliquibus.

Th. XV.

Quibus ita præmonitis, pro justitia disquisitionis nostræ; progredimur, sub favore Divino, ad expediendas illas difficultates, quæ in culpa esse possunt, quamobrem res adeo utiles, imo necessariae, non in *communes* usus perveniant. *Primam prærogativam* magis exercitorum practi-
corum, collocavimus in *exquisitiore cognitione vera indolis morborum*. Brevibus longa dicimus. Ne tamen vel hoc ipso nihil dixerimus, vel nimia *prolixitate*, & aliena quasi tractatione, præcipua, & imprimis maxime necessaria, dicere impediamur, laborabimus *fundum* totius hujus *arcani*, ita detegere, ut, dum ille in conspectum venit, prudentiori penitiori inspectioni liber aditus pandatur, sola industria judiciofa facile calcandus.

Th. XVI.

Dicimus itaque, *indolem morborum*, quatenus *Medicæ* cognitioni, tam ad solidam *theoriam*, quam solidam *thera-*

piam, quadrat, cognosci atque æstimari debere ex *habitu materialium morbiferarum*, ad *activitatem vitalem*: Nempe energiam illam, quæ corpori, *quam diu vivo*, imo *quatenus vivo*, inest atque præest. Hæc enim consideratio mox varia, ab usitatissimis traditionibus *theoreticis* passim aliena, commonstrabit: quæ interim circumspectâ & bene consideratâ experientiâ *practicâ*, velut ex abscondito & *arcano*, in lucem protrahuntur.

Th. XVII.

Sunt autem præcipua horum capita imprimis sequentia. I. *activitatem materialium νοσησῶν* in corpus humanum, *quatenus*, & *quamdiu*, *vivum*, nequaquam esse ita *simplicem* & absolutam, uti futura esset in corpus, è nuda sua *materiali* ratione, extra energiam hanc *vitam*, consideratum. Unde ante omnia, laudata quidem illa à Veteribus, sed sane operosa evolutione ad penitiorem intellectum, adhuc ab illis destituta, discretio conditionum *corporis ut mixti*, & *ut vivi*, tanquam *arcanum* adhuc abstrusum, in splendidiorem lucem protrahi, & mentis lumine collustrari debet.

Th. XVIII.

Siquidem caput. II. harum considerationum, complecti debet, *Activitatem vitalem*, quatenus illa tam adversus *intrinsecas* totius corporis, *seorsim*, & è nuda sua *materia* atque *mixtione* considerati, quam *adventitias*, *corruptiones* prævalet. Ubi iterum *arcanum*, sola certe, licet *universaliter notoria*, experientia collustrandum, ab usatissima *Theoria* vix ullo obtutu dignum æstimatum, detegetur; nempe: quod non solum *dispositio*, & tota *propensio* corporis, è sola sua *mixtione*, & *materiali structura*, considerati, & *activitas* illa *vitalis*, in has corporis condiciones, sint res velut è diametro inter se *dissidentes*: sed etiam *activitas* illa *vitalis*, *adversus* nudam illam patibilem dispositionem corporis, adeo *propolleet*, ut hujus *potentie* patiendi deductionem

nem

nein in *actum* & effectum, tamdiu refrenet & coerceat, quamdiu ipsa (*vitalis activitas*) in perpetuo suo *actu libero* manere, eumque prosequi & exercere valet. Ubi certe, ne prolixiora afferamus, summo *arcano* simillimum inveniet solers consideratio, quod illi effectus *corruptionum*, quibus corpus humanum, in se, è nuda sua *mixtione* consideratum, totum expositum est, *simplicissimi* atque *directi*, inter omnes morbos rarissime eveniant, & hoc quasi ad miraculum usque (exemplo *sphaceli*.) Sed hoc ipsum non aliunde, nisi ab illius *activitatis vitalis*, *physico-mechanicis* energiis, imo *effectibus* perpetuis, liberos illos *corruptionum* effectus, intercipientibus, limitantibus, iisdem detrahentibus, imo tandem (justis successibus) illos penitus expugnantibus.

Th. XIX.

Quo itaque intuitu III. caput erit, exquisitissime certe perpendendum, quomodo hæc *activitas vitalis*, etiam in statu exquisitè *sano*, non solum *sanitatem*, sed totam *vitam* corpori præstet & conservet, primo loco, per *remotionem*, depulsionem & expulsionem, indefinentem, veluti de momento ad momentum, portionum, qualemcunque tandem corruptionem *mixtionis animalis*, (i. e. secessum ex illa *mixtione*) subeuntium aut passarum, aut ad hos effectus introducendos proxime efficacium: Adeoque perpetuo hoc agat atque præstet ipso opere, ut res quoquo modo, five corrumpentes, five corruptas, à corpore *depellat*, & corpus ab ipsis *liberet*, *repurget*, adeoque ut ab omnibus alienis liberatum, suæ sinceritati asserat: (restitutionem decedentium portionum, altero specialissimo actu, secundo demum loco, porro instruens & absolvens.)

Th. XX.

Succedit huic IV caput, justissimæ considerationi offerens, quomodo natura hunc suum *perpetuum actum*, *mixtionis* corporis conservatorium atque liberatorium, quem in ipso *sano* statu indefinenter exercere necesse habet, & tota

in eo est, adeò non imminuat aut deferat, in *morbido* statu, (i. e. quando corruptelæ, quantitate aut qualitate auctiore, sive ingruunt, sive incumbunt corpori:) ut quidem, *quandiu* usquam, & *quantum*, potest, *solitas* suas actiones, tanto magis adversus has corruptelas *intendat*; fortius, vigilantius, diutius, augmento huic insistat, ut proportionem urgentis periculi, proportionem resistendi omni modo æquet: donec vel bonis *succesibus*, vel tandem *vi* aliqua & ultimo connisu, illic pedetentim & per partes, hic confertim, quasi simul & semel, noxias materias ejiciat, & corpus ab illis liberum atque repurgatum retineat. Sicubi vero *lentior* atque *segnior* sit, non valde *veloci* prævalido progressui par, qualiscunque corruptela hujusmodi, quæ magis *actus* liberos *vitales* quadantenus *gravet*, quam eosdem plane inhibendo, aut nimium potenter illis detrahendo: Ibi talis constitutio, tardioribus *succesibus* tandem demum *vitales* actus ad succumbendum usque deprimens, tardis atque diuturnis affectibus fundamentum præbens, & in his simpliciter *impeditior* vitalis energię efficacia, maxima prudentia discerni debet ab illis affectibus, in quibus major & *felicior* *activitatis* hujus concursus viget.

Th. XXI.

Unde quidem V. loco exhausturus sine dubio esset intimam profunditatem omnium hujus clas-*sis arcanorum*, quisquis illud eruere valeret, in quibusnam affectibus *nominatim*, & quidem sub vero singulorum censu, & ad capita percentsa tribu, *activus* ille naturæ concursus, plurimum *fiat*, atque *possit*; quibus etiam *modis* atque *motibus*, secundum *tempora*, *successus*, *loca*, & *modos*, instrui & absolvi, aut certe solemniter *tentari*, soleat: In quibus autem affectibus magis magisque *impeditus*, longe magis *passive* sese gerat; & à *quali*, *materiarum*, aut *energiarum*, adversarum ratione, ad has primo *tricas*, tandem vero prorsus *incitas*, redigatur. Verbo: *Quid*, & *quantum*, sive *activa*,
sive

sive *passiva*, *anomalie* MOTUUM, generali, imo *essentiali*, ratione, insit in *singulis* morborum *speciebus*: Adeoque cognita, in genere, ipsa *præsentia* uniuscujusque morbi, in specie *præsto* futurum simul expectandum, sciendum, atque cognoscendum sit. Profecto vero, qui hujus rei ambitum pro dignitate, nempe solida rei veritate, decenter animo complexus fuerit, illi in hac prima classe cum nemine de *prærogativa* contentio orietur, aut quæstio status movebitur.

Th. XXII.

Supereft autem *latibulum* adhuc unum, VI. locum occupans. *Latibulum* dico; nequaquam ex parte ipsius naturæ, aut *naturalis veritatis*; sed unice ex parte *inscitie*, & si non *invidiæ*, certe *ignaviæ*, *humane*: Nisi quidem aliquanto honestior excusatio, quam nequaquam silentio præteribimus, allegari possit. Ex parte enim naturæ, atque luculentæ veritatis, (dummodo animus veritatis *μετὰ σπῆδος* avidus, & nullis præjudiciis occæcatus, advertatur) quid luculentius est, notatuque atque cognitu facilius, quam *effectus* illi, laudatæ hactenus *energiae vitalis*, salvationi corporis non magis invigilantis, quam, ut loquitur *Hippocrates*, intentionibus suis etiam *sufficientis*, quod, juxta alterum Hippocratis effatum, *ipsa natura*, etiam *sine medico*, & ullis externæ artis adminiculis, plurimorum, & inter hos plane fonticorum *morborum*, vera atque plena *medicatrix* fiat. Neque hoc clam; *obscuris*, & quasi clandestinis, exemplis: aut ita *rarò* evenientibus, ut ipsa raritate attentionem minus sagacem subterfugere, & quasi fallere, possent. Sed tanto *numero*, tam *quotidianis*, & passim in ipsos sensus impingentibus, speciminibus, ut tota Schola Medica vix ullam idoneam excusationem allegare possit, quamobrem hoc negotium, pro sua dignitate, ad justam considerationem trahere, & altius, tam enarrare, quam enucleare, ad hunc diem neglexerit. Cum enim tali evolu-

lutione, necessariò detectum fuisset, (quod omninò adhuc inter talia *arcana* abstrusum & veluti sepultum jacet,) quibus maxime *methodis*, *modis*, *energiis* atque *actionibus*, ab ipsa naturæ *vitali activitate*, morbi oppugnari atque debellari possint; quid non præsidii è tali consideratione adipisci potuisset & assequi, ars ipsa Medica, ad *insistendum* his iisdem *vestigis*, imò *viis*, & *assistendum* tantò potentiùs, naturæ, jam *spontè* per has vias non solum incedenti, sed etiam tam feliciter progredienti, nisi plane *specialibus*, imo individualibus, *accidentalibus*, impedimentis prægravetur. Quibus propterea immensum compendium esset, solum succurrere; adeoque felicem naturæ operationum salutarium eventum, ad liberum optatum exitum promoverè. Est illa sane Practicorum, è peritiæ *prærogativa*, tanquàm è tripode, de fati mortalium decernentium, usitatissima vox, postquam aliqua quæ arti agenda sint præscripserunt, *relinqua naturæ esse committenda*. Sed, utinam in tota praxi medica tradenda, tanquam firmam *methodum* hanc, vel potuissent servare, vel voluissent, imò studuissent; ut quid *arti* agendum, quid à *natura* expectandum sit, per singulos adfectus, non magis decrevissent, quàm solum *discrevissent*. Impetravisset inde, seposito omni dubio, potius ars ipsa, debitam illi atque destinatam *prærogativam*, quam pauci, & fortè nimium quam pauci, artem professi. Sed frustrà hic sunt vota; indigna etiam, & meritò irrita, ubi studiis potiùs alacribus, & laboribus, sit locus, quam ignavis votis: Quapropter hiis potius res tota seriò demandanda venit, quam spes in votis commendanda.

Th. XXIII.

Sane vero, qui hæc VI. allegata capita, sufficiente animi applicatione rectè enucleaverit, & animo complexus fuerit, ille possidebit quod nulla *prærogativa* particularis experientiæ, antecellere, aut post se relinquere valuerit. Unde opus non esset quicquam amplius atque specialius, utpote

utpote sub his summis generibus comprehensum, allegare. Quia tamen eximiæ veritatis est solidissimum illud Senecæ monitum: *Nunquam nimis dicitur, quod nunquam satis discitur*: Nefas non erit, paucis, licet non pauca, adhuc nominare, quæ arduo huic scopo tanto prescius admoveere possint, ab aliena *prærogativa* eluctantem, & laudabili æmulationi studentem, artis sectatorem. Cui nempe omnem laborem mirifice levabit, *perita*, ex *universali*, quotidianæ observationi obviâ, *experientiâ*, animadversio, I. *Infrequentia morborum personalis*; II. *Dispositionis ad morbos personalis*, è *temperamento*, *hereditaria dispositione*, *rerum non-naturalium usu*, *etate*. III. *Morborum ætatum diversitas*; IV. An hæc tota *specie*, an vero solum *locis* & *temporibus*, discrepet: V. Atque adeo *metaschematismos* magis, quam exquisitissimas *specificas* differentias, involvat. VI. *Plethoræ boni sanguinis*, ejusque *effectuum*, non magis *experientiæ*, quam *rationi consultæ*, conformium; VII. *Apparatum hæmorrhagicorum*: VIII. *Impedimentorum earundem*: IX. *Locorum hæmorrhagicorum*: X. *secundum ætates variantium*. XI. *συζυγίας localis*, *morborum ætatum*, cum *hæmorrhagiarum ætatum* apparatibus & successibus. XII. *Quantitatis nimie sanguinis*, in *qualitatem* ejus simplicissimam, *fluxilem mobilitatem*, depravandam *physico-mechanica* potentia: XIII. *Motus Tonici vitalis*, tam ad *universalem*, *equalem*, quam *particularem*, *inequalem*, progressum sanguinis, evidens & notoria potestas. XIV. *Reciproca conspiratio & proportio*, *motuum vitalium* in corpore, & *moralium* in animo, & *voluntariorum* corporis in gestibus, & modulo gerendi. XV. *Consuetudines*, tam *hereditaria* *impresione connata*, quam usu atque exercitio multo *adscitæ*. XVI. *Totius tandem ætativitatis vitalis* limitata *periodus*, tam in corporis *structura*, quam animi *alacritate*, *septies septenis annis* quasi definita. Sufficere vero hæc possunt quantælibet solertiæ atque diligentiae: Sed necessaria omnino sunt ingenuæ impatien-

tix *prærogativa*, cui absolute hac, & nulla alia, eundum est via.

Th. XXIV.

Cum autem hujus classis *prærogativa*, non minus quam reliquarum, nempe *usitata* illa, vulgo decantata, non simpliciter *experientia* assignari soleat; sed imprimis *longa*, & *multiplici*: & insuper *laboriosa*, *propria*: Dicendum aliquid venit de *prærogativa METHODI*, quæ ex hætenus detectorum *arcanorum*, studiosa atque judicioſa proſecutione, ſolertibus ſectatoribus obtingere poteſt veritatis harum rerum. Certæ atque fidæ *experientia*, ſuperſtruendum eſſe totum hoc negotium, tam certum eſt atque firmum, ut quod certiſſimum: Neque vero minus *multa*, atque *longa*, ſed plane *uniſverſali* (in hac claſſe) & penitus *perenni*. *Propriam* autem ita eſſe debere, ut digitis connumerari poſſit, & plane nihil ex *alieno* ſumere ipſi liceat, nulla uſquam neceſſitas exigit, aut ratio ſuadet.

Th. XXV.

Faciemus hic, quod ſuprà promiſimus; *excusabimus*, optima fide, & prorsus ingenuâ, multos *prærogative* talis qualiscunque compotes Præcticos, & *invidia* notam illis adſcribi, minime conſentiemus. Eſt certe illa *multa* praxeos, & per malos mortalium mores, paſſim neceſſariò *laborioſe aſſidue*, mala fortuna, ut velut *addicta* plane privatis, *publico* inſerviendi commoditatem amittat. Cui rei ſi inſuper accedat, *neceſſitas*, contrà olim imbibita alienioris theoriæ *præjudicia*, quaſi totam *novam* methodum, *invenien-*
di potius, quam *applicandi*: Nemo proſectò æquus arbiter, vitio vertere poterit talium artificum cœtui, ſi ſibi & ſuis ſapere contenti, aliis nihil, niſi *induſtriam*, cum fido monito *neceſſitatis*, non magis commendent, quam veluti per manus tradant. Interim tamen nec illud nobis vitio ver-
tet quiſquam talium vir bonus & æquus, ſi amicè moneamus, ut quicunque *Observationes practicas ſcribere* in ani-
mum

mum inducunt, non tantum *solis rarioribus* tempus suum impendant affectibus; cum etiam *quotidiani*, magnis adhuc tenebris premantur: Sed etiam quas proferunt historias, potius cum *omnibus*, quam paucis, aut infeliciter *selectis*, circumstantiis, commemorare, non negligant.

Th. XXVI.

Interim, Divinæ sine dubio benignitatis indulgentiâ, imò instinctu, non ita male agitur cum rebus generis humani, ut has concernentis salutaris *veritatis*, nulla ab omni ævo, vel prolata, vel asservata, restent testimonia: Aut tam pauca, ut neque fidei, nec optato usui, idonea haberi mererentur. Habemus utique, tam ab ultimâ scriptio-
num *antiquitate*, quam à *propioribus* adhuc ævis, practico-
rum, *doctorum*, *exercitatorum*, & *industriorum*, monumenta, ipso etiam *consensu* minimè suspecto luculenta; qui *histori-
am morborum*, totius, inquam, aut sane *precipue*, *indolis* ho-
rum, ab ipsa *experientia* desumptam, commemorationem posteris reliquerunt, nulli pretio imparem. Hanc si quis antè omnia conferat cum *exemplis quotidianis*, *numerosis*, *va-
riis*, *constantibus*, sive *universalis*, sive *particularis*, *proprie* aut *alienæ*, observationis; reportabit inde *duplex* commodum, in hoc genere maximi profectò æstimandum. Nempe I. ut de *presentibus* casibus, exemplis, speciebus, morborum, per incredibile compendium, edoceri, & planè certus red-
di possit. II. Ut ex variè atque sæpiùs, animadversa *fide*, *veritate*, atque *certitudine*, historicorum talium, etiam tanto securiùs bonam spem animo complecti possit, de *veri-
tate*, atque *fide*, circa reliquas species, quæ non ita quoti-
diano & frequenti occurso, tanquam lydium lapidem, ve-
ritatis experientiæ scriptorum illorum, subire possunt. In-
terim, ut in his omnibus rebus, propterea *auctoritati* nu-
dæ præjudicium decernere, sese continebit: Ita *industriam* tamen talium antecessorum, *laudare* quidem cordi habebit,

sed tantò magis *sequi* atque *imitari*. Profectò enim verendum omninò est, & *ingenais* animis dignum, ad minimum assensu suo approbare, & albo calculo confirmare, ut,

*Qui - - sui memores alios fecere merendo,
Semper iis niveâ cingantur tempora vittâ.*

Th. XXVII.

Ut autem brevissimis, illis quorum interest, indicium faciamus, quid de bene meritis in hoc negotio sentiendum sit, & usibus suis reponendum, laudavi Præses jam pridem, *Programmate de Historia Medica practica, Forestum*; apud quem animadvertere licebit, quid jam *antiquissimi*, præcipue vero *Galenus*, circa *historiam practicam pathognomonicam*, laudis promeruerint; quid *minores Græci*, quid *Arabes*: in quibus rebus, tam studiose colligendis, quam è propriæ experientiæ penu, illustrandis, atque confirmandis, quid hic Vir in hoc genere solide doctus, præter omne exemplum, præstiterit, nihil melius, quam propria imitatio paris industriæ, declarabit. Inter propiores, nominari merentur *Sennertus*, & *Ettmüllerus*, *Forestum* fidelissime secuti; quod imprimis posterior, honestissimo candore profitetur. Quotquot autem alii, ut *Cardilucius* cum suo *Hartmanno*, paria fecerunt, parum certe exhibebunt, quod non ab ante dictis in suo ordine abunde præstitum sit. Iterum autem dico, quod de nulla alia re, quam de *historia pathognomonica clinico-practica*, præsentē loco nobis sit sermo.

Th. XXVIII.

Ostensis ita certissimis gradibus, quibus adsequi liceat eadem fastigia, & quidem per ingens *compendium*, ad quæ *annosiores practici*, longe operosiore certe *diligentia*, & raro pari undiquaque *firmitate*, sive progressus, sive stationis ultimæ, pertingere potuerunt; ducit ordo ad alterum apicem, nempe prærogativæ circa *individuales peculiare in-*
doles

doles, non tam *morborum*, quam *ad morbos & in morbis*, ipsius laudatæ *Energia vitalis*, ejusque gubernationis AVTOCRATICÆ.

Th. XXIX.

Quamlibet autem, ut per singula *individua*, indubium plane sit, quod hæc res, secundum *presentem* veritatem facti, nusquam aliunde impetrari possit, nisi à *presentanea* experientia; tantum tamen abest, ut propterea solum insignem difficultatem, nedum impossibilitatem, metuere debeat, *intervenientis*, sive junior experientiæ annis, sive nondum de his rebus informatus, Medicus, ut, si modo harum etiam rerum *fundamenta*, animo comprehenderit, & memoriter teneat, parvo numero *questionum*, aut prudenter eo *flexis* discursibus, vel intra horæ spatium comperire possit, quantum alius practicus, sine sufficiente *theoria*, & huic superstructa *methodo*, nuda Empiria circa patientes, nec sine sua neque patientium, multiplici molestia, & variis intercurrentibus heteroclitis flexibus, sibi comparare valuerit, non brevi communiter temporis intervallo.

Th. XXX.

Sunt autem hujus etiam, si pro tali habeatur, *arcani*, penitiora firma *fundamenta*, partim *generaliora* adhuc, partim *specialiora*; siquidem *individualis* ratio, ne nudas singularitates involvere credatur, ad *speciem* potius, sub qua stant *individua*, referenda venit.

Th. XXXI.

Generaliora illa sunt, *temperamentum* corporis, *sexus*, *etas*, *hereditaria dispositio*, sex res *non-naturales*, inprimis *animi habitus patheticus*, ad quem referimus *Consuetudinem*. Ex his rebus ita fluunt variæ, per *individua*, dispositiones, ut gnarus harum rerum practicus, sæpe *prorrbetice* quasi divinari possit, si *historia* morbi ipsi enarretur, quo corporis *habitu*, qua *etate*, quibus circa res *non-naturales* circumstantiis,

tiis, patiens utatur; reliqua vero, valde strictis quæstionibus detegere.

Th. XXXII.

Specialiora sunt, textura corporis, tenerior, aut robustior; conformatio corporis, illibata, aut violata: morbi prægressi, & horum cum succedentibus συζυγία: anomalia, ab incontinentia ægri, aut inconditis medicationibus: Duratio morbi, five continua, five discreta, periodica: & horum consuetudinalia: Evacuationes, artificiales, imprimis sanguinis, & inde iterum (vel à supervacuo, atque temerario per primordia, usu,) plus minus adsuetudinis, aut certe inclinationis adferentes: Hemorrhagiæ spontaneæ; quam maxime vero apparatus ad has vergentes, imo tendentes: Qualia sæpius demum post unam vel alteram periodum ætatis, specie eadem, loco solum diversa, repullulant: Cælibatus aut conjugium: graviditas, & puerperia; specialissime abortus: habitus ad anni temporum & tempestatum mutationes: appetitus aut aversiones singulares: Desideria anxia, aut mærores: habitationum & climatum mutationes, ut & cibi, tanto magis autem potus: & fortuita aliqua, inter quæ primatum fere tenent violenta.

Th. XXXIII.

Ausim certe in me recipere, quod hæc fundamenta non subterfugere possit ulla, ut vulgo loquuntur, individualis naturæ seu indolis circumstantia, imprimis autem ad Therapeutico-Medicum usum aliquid momenti collatura.

Th. XXXIV.

Interim arcanum, his ipsis quoque rebus, nempe ponderi earum, eximium modum præscribens, est, vera, sibi constantis, & essentialiter immutabilis, directæ indolis morborum, solida scientia. Quandoquidem hæc innumeris exemplis, ita prævalet, accidentalibus ejusmodi flexibus, ut, si medendi methodus huic recte superstruatur, reliquæ strictius individuales circumstantiæ, de sua vi mirum quantum concedant

cedant ac remittant: Adeoque tam luculentam *prærogativam* conferre, impares evadant.

Th. XXXV.

De *Tertia* vero classe *prærogativæ*, experientiæ usui in acceptis ferendæ, equidem negari non potest, quod illa non contemnendum habeat pondus atque usum. Quandoquidem certissimum omninò est, æquè uti gladiator absque armis, & πυροτέχνης sine pulvere pyrio atque tormentis, imò quilibet artifex, sine idoneis *instrumentis*, effectum suo necessario excidunt; ita Medicus practicus, licet exquisitè cognito morbo, in quem agendum sit, & methodo, quâ procedendum, indicationibus etiam specialibus, quibus satisfaciendum: si idoneo, certo, atque fido *instrumento*, nempe medicamento effectus talis verè compote, destituatur, quod habet proverbium, in ipso portu naufragium facturum sit. Contra verò, fidâ talium experientia instructus, plenis, quod ajunt, velis portum tenere, & anchoram ibi jacere ad votum compos futurus.

Th. XXXVI.

Interim nequaquam defunt, etiam duro huic nodo pares cunei. Quos tamen antequam in manus tradamus, nemo æquus arbiter vitio nobis vertet, si atro carbone notemus, quam certe apud nos, optima fide & sincerissimo animo, serio detestamur, nefandam illam partim πολυπραγμοσύνην, tanto magis autem nudam cœcam audaciam, qua sic dicta *materia medica*, tanquam luxuriosa πανοπλία, dictis, scriptis, imprimis pro mercede, tropis atque ampliationibus rhetoricis, citra experientiam, contra experientiam, prolixis voluminibus, ita ostentatur magis, quam ostenditur, ut harum rerum adhuc imperitiores, præcipue vero qualiscunque Autoritatis fascino jam dementati, in abyssum incertitudinis, vortices trepidi aut nullius, in præsentē necessitate, consilii, & fyrtes vani, aut plane noxii, effectus, tanquam una ruente Euro atque Zephyro, rapi-

rapiuntur, illiduntur, præcipites aguntur: ægri vero, tanquam pestilentibus austris, aut putridis malaciis, præfocantur: Sed frustra hic sunt querelæ.

Th. XXXVII.

Cynosuræ vero salutaris, etiam in hac periculosa jactatione, vim certissimam habebunt, tanquam luculentæ polares stellæ, sequentia subsidia. I. Monitum illud aureis literis, & adamantina, potius, quam smaragdina tabula dignum, quod vulgo Capiaccio tribuitur, & si ne unum aliud haberet testimonium, virum testaretur *κρίως* bonum fuisse; quod nempe auditoribus suis, à prærogativa felicitatis ejus in praxi excitatis, ut illum orarent, dignaretur ipsis arcana sua communicare, tradidisse memoratur: *Discite meam methodum, & habebitis mea arcana.*

Th. XXXVIII.

Certe enim *bona methodus*, habet illam reciprocam communionem, quam Metaphysici enti suo verè existenti tribuunt, quod sit *unum, verum, bonum*. Elucet autem etiam hujus bonitatis summa dignitas, splendidissimè ex eo, quod *una vera methodus*, immediate ab ipsa *Divina* sapientia & clementia, ipsi constitutioni corporis humani, in prima hujus institutione, *indita* sit & *infixa*. Quam propterea negligere, contemnere, aut *cerebrinas* methodos, vel plane tanquam *meliores*, in hujus locum atque dignitatem supponere, in his rebus etiam ingentis peccati probrum, non potest declinare.

Th. XXXIX.

Tanto magis, si altius ad animum revocetur, & quo digna est, exquisitissimo examine lustretur, *conditio* illa, quam nos, quantacunque in nos cadit, animi applicatione seria, pro certa atque firma habemus: quod *ad adfectus*, quibus hæc Divinitus concessa atque ostensa *methodus*, satisfacere potest, ne quidem *peculiaris* alia *directa* remedia, à Deo constituta aut concessa sint: Certissime omnium
autem

autem, *ubi*, & *quatenus*, illa satisfacere potest, nulla ratione necessaria sint.

Th. XL.

Cui rei adhuc, in nostra consideratione, (*peculiaris prerogativa*,) pondus certissimum addit securissima illa experientia, quod patientes nunquam aliis postposituri sint illum medicum, cujus modo certæ curandi peritiæ, securos sese esse posse credunt, sive per compendium, sive per quascunque ambages, ad finem optatum rem perducant.

Th. XLI.

Interim II. in hac classe fundamentum, præbet remedium, à *peritis*, & *rebus* potius, atque provocationibus ad *practica* exempla, quam rhetorico verborum lenocinio, docentibus, practicis, laudatorum, *selectus*; seposita tantisper luxuriosa illa farragine atque copia. Sicut enim sanæ rationi ipsi conformis est proverbialis illa admonitio, *quod potest fieri per pauca, non debet fieri per multa*: Ita tanto facilius, circa pauciora absolvitur indago veri effectus, quam circa multa, nedum infinita quasi numero.

Th. XLII.

Imò, meretur hic laudari *simpliciorum* potius, quam magno numero compositorum, ita ad experientiam revocanda efficacia. Sicut enim ab *antiquitate* commendata efficacia remedium, non solum ipsis *simplicioribus*, sed etiam sub *simpliciore* præparatione usurpatis, assignata passim invenitur: Ita à dispari adhibendi modo, ut nudo experimento, per nullam rationem expectari potest, quod de dispari usu annotatum atque commendatum fuerat. Ubi imprimis cavere sibi cordi habebit prudens medicus, ne ab impudentibus potius, quam imprudentibus, illis decantationibus præparationum, & culinæ verius quam officinæ Chemicæ, glaucomatibus, quasi puerili credulitate sibi imponi patiatur. Sed ubique potius pro lapide lydio talium adhibeat, sinceræ exhibitionis talium, *sinceros*, &

omnino *conspicuos*, & quidem, qui nervus est quæstionis, *salutares*, effectus. Ita enim sæpe desiderium amittet, talium *arcanorum* notitiam, ullo studio, nedum male collocata prece, aut adhuc iniquiore pretio, detegendi. Interim tam scientia quam conscientia bona, talibus artificibus, quodcunque lucrum inde per illud, *mundus vult decipi*, proverbium, venantur, illis nunquam invidet: inhærens potius firmissimæ illi constitutioni, & justissimæ: *Salus agrorum suprema lex esto.*

Th. XLIII.

Quoniam tamen nullo modo negari potest, quod etiam ad aliquos morbos revera dentur *specialiora*, imo quæ *specificæ* plane vocari mereantur, medicamenta; Equidem detegendis talibus, nulli studio parcere, auctores omnino sumus: Interim est hic omnino opus circumspecta cautione, ne temere credendo, vano, quod ajunt, hiatu deludatur. Unde ante omnia laborare jubemus, ut pluribus exemplis de *veritate effectus* satis constet; tum etiam de *veris circumstantiis*, temporis atque *modi* adhibendi: utpote quas plurimum hic posse, ipsa experientia compertum habemus: adeo, ut etiam exquisita notitia subinde opus sit, strictissimæ *speciei affectuum*, quibus aliqua talia, minime vero *subalternis*, conducere, eadem luculenta experientia nos docuit. Talibus si potiri liceat, nulli honesto acquirendi modo parcere, omnibus modis cohortamur. Notabilis certe est *Conringii*, in *Introductione ad Historiam Medicam*, commendatio *Solenandri*, quod præsertim *specificorum* remediorum experientia inclaruerit. Et constans nostra est sententia, quod etiam ipse *Paracelsus*, quamcunque veriore reportavit laudem, non jactatis illis *Chimicis* aut *Alchimicis arcanis*, sed aliquot simpliciorum ejusmodi *specificorum*, notitia atque usu, in se derivaverit.

Th. XLIV.

Ceterum, facit utique *imperitorum* atque *avidissimorum*

morum hominum, tam intra, quam extra artis medicæ pomæria, fastus atque impotentia, (antiquo illi, quo quis indoctior, tanto est impudentior, veritatis constantiam nimio plus concilians), ut justam omnino agnoscamus Celeberrimi *Schellhammeri* animadversionem, *Tr. de genuina method. cogn. & cur. feb.*, dum inconsultum, imo indignum reputat, artificia medica, quæ nullo labore, & tanquam nudo experimento, egregie prodesse possint, simpliciter in publicum propalare. Præterquam enim, quod rationes ab ipso allatæ, *politico-morales*, omni exceptione majores haberi merentur; videor mihi, Præses, unam adhuc, non perfunctoria experientia confirmatam observasse, certe nihilo minus ponderis habentem; dum, iterum dico, expertus plane mihi videor esse, quod ab optimis, & minus in vulgus notis, ita temere propositis remediis, ipsa omnino *benedictio* Divina recessisse apparuerit, ut illis vel nullus, vel longe rarior, bonus effectus obtineretur.

Th. XLV.

Sumus autem, rerum suarum vere fatagentibus, imo salutis patientium intentis, Medicis, auctores, quod etiam ego, Præses, sæpius in praxin deduxi, ut sicubi apud aliquem, sive practicum dogmaticum, sive nudum Empiricum, certi sint inveniri posse peculiare aliquod tale remedium, à quo effectus evidentiores atque certiores expectari posse, satis certo sciant, quam ab aliis vulgo notis; cujus tamen ille, quocunque tandem intuitu, propalationem (in quam propemodum omnes communicationes, præcipites ruunt) neget: si modo ipsum in natura concedere, & copiam ejus facere haud gravetur, de hac sibi prospicere nequaquam negligant, nedum fastidiant. Imo si vel hoc ipsum, (quæ interdum est humani animi pervicacia,) denegaret, si tamen de *veritate rei* convictum habeant animum, potius patientes ipsos ad illum remittere

non dedignentur, quam nihil proficientibus suis artificiis, commoda horum morari.

Th. XLVI.

Quid enim aliud, quam in Medicum ipsum ita recideret, justissimum invidiæ, pervicaciæ, atque avaritiæ opprobrium, tanquam ex alicujus horum culpa nolentis, ad peregrini artificis auxilium patientem ablegare; cum non solum è diffitis longissime terris petita exotica remedia, efficaciam tantum qualitercunque certæ, coëmere non dedignetur: Sed etiam, frustra tentatis decantatis innumeris artificiis practicis, longe magis incerto eventu, cum variis incommodis & expensis, ad acidulas atque thermas ægròs rejicere. Quo intuitu certe cordato cuilibet viro, multâ Dialecticâ hîc persuadere supervacuum merito reputamus.

Th. XLVII.

Justissimum autem contra, judicamus, hanc talem *prærogativam*, dummodo *verax* atque *certa* illa inveniat, apud quemcunque reperiri possit, illi minime invidere, nedum plane maligne detrahere. Redundabit enim hac quoque ratione certissime, talis *prærogativa*, ad oppido exiguum numerum, partim practicorum, partim remedium; adeò, ut etiam hoc intuitu, obstinata aversio, talibus nec utendi, nec aliis illa suadendi, satis bono jure invidiæ atque morosæ pertinaciæ, tribui mereretur: tanto magis si insuper, sive pretium sive præmium, pro efficaci ejusmodi medela, cum tributis, Medico & Pharmacopœiæ, pro inutili opera atque farragine, pendendis, in nullum æquilibrium redigi valeret. Sed amovendus est unguis ab ulcere.

§. XLVIII.

Quemadmodum autem ea, quæ hucusque laudavimus, certa sunt, & primaria *fundamenta*, diversitatis, seu
præro-

prærogativa, ab ipsa *experientia* equidem omnino petendæ; Sed non absolutè *propria solâ*, ut propriâ etiam *multa, & longa*, acquirendæ: Cum etiam, partim à solerte animadversione *universalis*, vix non quotidianæ, experientiæ, tum etiam patientium, ab aliis practicis tractandorum, quin denique è bonis in hoc genere scriptis practicis, *historiam morborum* diligenter complexis, ita comprehendi & memoriæ imprimi possit, ut in oblati deinde casibus, judicioſa comparatione haud difficulter absolvi possit, vera agnitio atque dignotio. Ita negari tamen etiam nequaquam potest, quod locum adhuc in hoc genere tueatur, diversitas *promptitudinis*, tam *memoriæ*, quàm *judicii*: Dum utique vir viro hic præstat, homo homini, ut ex utroque fundamento faciliùs dijudicare possit, quid, ad regulam comprehensam, constituere, atque statuere sit integrum. Interim, licet hæc diversitas ita comparata sit, ut illi nullum verum remedium adhiberi queat: Habemus tamen pro certo, & confirmati hic sumus, quantum ipsa ratione, tantum etiam experientia, quod defectus verè *systematici intellectus*, omnium harum rerum, & indissolubilis earundem *nexus* atque *conspirationis*, impedimentum sit, imò obstaculum, quod omnem bonam spem potenter remoretur. Quod autem illam etiam in solidum evertat atque irritam reddat, sint *præjudicia*, ex alienis opinionibus theoreticis, de potentiâ materiæ corporearum in corpus simpliciter, animum implicantia.

Th. XLIX.

Licet enim, si rem rectissime æstimare placeat, etiam tota illa *prærogativa*, de qua nostræ tractationi est sermo, verissime soleat esse negotium simpliciter *Empiricum*: unde nimirum est, quod ipsi hanc *prærogativam* præ se ferentes, protestentur, *theoriam longissime distare à praxi*, & alia penitus, hac deprehendi, quam illâ comprehendi fueverit. Tamen, cum semper & absolute operosius sit, & inevita-

bili confufioni propius, res, quantumcunque etiam experimento notas sine qualicunque intellectu etiam causalium respectum, expedire: arbitramur propterea, immensum quantum majus operæ pretium facturos, imo aliam *prærogative* rationem adsecuturos esse, qui hic non tam simplicem *Empiriam* venari, quam *theoriam* sive eruere, sive jam erutam ad animum revocare cordi habuerint. Ubi quidem omnibus idoneis harum rerum cultoribus, ratio in re ipsa commonstrabit, quomodo ipsæ hæc à nobis commendatæ *considerationes*, & ipse illarum *ordo*, manuducturæ sint, non tam ad nudam *veritatem* facti, *Empiricam*; quam ad evidentiam etiam *rationum* atque conspirationum dogmaticam, seu sanam *Theoriam*. Quibus quidem effectibus, non modo ingenti compendio adsequentur præcursores tales, jam multum spatii prævertisse visos: sed adsequentur certissime talem *prærogative* gradum, ad quem alteri illi non passibus æquis insequi, nedum iterum hic etiam dubiam reddere possint palmam.

Th. L.

Meritò autem omnes viros bonos confidimus subscripturos hic esse, tanto magis autem auxilio artis solido indigentes ægros, sinceris nostris votis, ut *paritas* potius scientiæ atque dextræ experientiæ, tandem hic impetrari valeret, nec jam tam amplius *personalis* artificum, quam *realis*, ipsius *artis*, *prærogativa*, stabiliri. Imo potius ipsi *humane nature*, à *Divina bonitate* destinata atque benignissime concessa illa *prærogativa*, ad solidam agnitionem deduci, quâ hæc tam *sibi ipsi sufficere*, quam, uti scholæ medicæ loquuntur, *indicare* possit judiciosæ arti, ubi *prægravata* laboraret, & quæ subsidia expectet, imo anxie subinde respiciat atque anhelet. Hac enim certe ratione, *Medici scientiæ* atque *conscientiæ*, *artis* veræ *dignitati*, *nature potestati*, *Divinae vero sapientiæ*, *potentiæ*, atque *clementiæ*, singulis quod suum esse potest, & revera est, distribuetur atque adferetur. Quod Deus faxit, cui sit Laus & Gloria sempiterna.

